

THYMUS

Decessit mater in sepulcrum data,
manserunt orbi pueri,
vadebant quoque mane luce grata
quaerentes matrem miseri.

Infantes caros mater miserata
in lucem rursus rediit,
contexit tumulum reincarnata,
in parvos flores iniit.

Infantes cognoverunt matris flamen,
in corde semet hilarant
et flosculum, maeroris consolamen,
secundum matrem nominant.

O thyme matris, vos materni flores,
excerpsi vos in tumulo,
fabellae, nostri simplices rumores,
cui portem vos in cumulo?

Vos in fasciculum nunc copulabo,
redimiam vos taenia,
in mundum latum viam demonstrabo,
qua vobis est familia.

Fors filia fidelis apparebit,
cui vos fragretis suaviter,

fors filius fidelis apparebit
ad vos cor clinans comiter.

EMPUSA SIVE STRIGA MERIDIANA

Apud scamnum infans stabat,
pleno gurgite clamabat.
„Nebulo, tu habes mores,
siste tandem iam clamores!

Est meridies, momento
pater est hic post laborem:
Ignis eget alimento
propter tuummet furorem!

En, hic eques, currulus,
ludas, habes gallulum!“
Sed cum gallo currulus
volat paf in angulum.

Tollit denuo clamores –
„Crabro perdat temet iam – !
Credas, huc Empusae horrores
protinus alliciam!

Veni, veni, tute Empusa,
istum malum hinc asporta!“
En, it quidam, iam reclusa

fit paulatim casae porta.

Anus fusca, torvo vultu,
cum bacillo, torta crura,
convelata crasso cultu,
vox procellae, rauca, dura.

„Da puellum!“ – „Tu, rex sortis,
mi dimitte verba vana!“

Afflat matrem ventus mortis,
en, hic est meridiana!

Vult ad mensam propinquare,
repat compar obvio:
mater nequit iam spirare,
natum pressat gremio.

Respicit, Empusa repat,
vult puellum rapere,
vadit propius, iam coepit
bracchia protendere.

Manum porrigit ad natum,
mater torpet perturbata:
„Propter Christi cruciatum!“
cadit sensibus privata.

En, campanae vox auditur,
est diei iam discrimen;

porta raptim aperitur,
pater transit casae limen.

Matris os est alba nix,
natus ad cor est pressatus,
matrem excitavit vix,
sed puellus – suffocatus.

UNDINUS

I

Supra lacu vir sedebat,
noctu populo canebat:
„Luce, luce, lunula,
suant, suant filula!

Neo socculos frugales
in madores atque in calles,
luce, luce, lunula,
suant, suant filula!

Netur vestis coniugalis,
cras iam sextus, Bacchanalis,
luce, luce, lunula,
suant, suant filula!

Soccos, viridem vestitum,
ad conubialem ritum,

luce, luce, lunula,
suant, suant, filula!"

II

Virgo mane iam surrexit,
tunicas in nodos nexit:
„Mater, volo vadere,
apud lacum lavere.”

„Ne discedas, nata cara,
vidi somnians amara,
nata, domi maneat,
quaeso, ne nunc abeas!

Gemmis eras redimita,
alba veste convestita,
heu, ex spumis, caveas,
quaeso, ne nunc abeas!

Albae vestes luctum velant,
lacrimas et gemmae celant,
tristem sextum caveas,
quaeso, ne nunc abeas!"

Nescit nata tolerare,
coepit quiddam stimulare,
ut ad lacum abeat,
nil, quod domi placeat.

Primus pannus madefactus
et ponticulus perfractus,
heu, puella vertitur,
vertice submergitur.

Sunt effusae undae latae,
instar circi dilatatae –
in arbore sub rupibus
vir virens plausit manibus.

III

Regna lymphae luctuosa -
- captos intercludunt -
super herbis sub nymphaea
pisces hic colludunt.

Loca non sunt luce fota,
ventis non afflata,
frigida silescent, sicut
corda spe privata.

Regna lymphae luctuosa -
- pisces hic truduntur -
lucis in opacis umbris
pigre delabuntur.

Aula domini lympharum
dives et opima,
sed convivae solum forte

veniunt ad ima.

Cuilibet est splendens porta
orte reserata,
hunc vix iam viderunt umquam
lumina pergrata.

Assidet ad postes herus,
retia conectit rara,
gremio marita fovet
pignora percare.

„Dormi, fili, natus forte,
dormi, care fili,
tu subrides pereunti
gemitu servili.

Saepe manus mihi porgis,
fili tristis matris,
atqui malim dormire
tectis atris.

In tellure pone templum
et sub cruce nigra,
ut et mater adsit prope,
mater numquam pigra.

Dormi, fili lymphigene,
fili tristis Vestae (synu smutného krbu),

nonne mater reducenda
est in mentem maestae.

SPONSA LEMURIS

Iam nunc undecima hora sonabat,
adhuc lampas conflagrabat
fundens fulgur in intima cellae
desuper in genuale puellae.

Murus stat conclavis egentis
pendet imago prisca parentis,
sanctae matris, divi nati,
sicut floris iam gemmati.

Coram matre virgo grata,
tristis supplex est prostrata,
iungit palmas in maerore,
flenti manat ros ex ore.

„Vae mihi, perdidi iam genitorem,
iam non possum ferre dolorem,
vae mihi, vae, qua – mater amata,
vivo utroque parente privata,
ah, non possum fari verbis,
ambo mi sunt iam sub herbis.

Mox germana perampta est morte,
frater – ictus eadem sorte.

Ille, in quem fors insanirem,

pro quo memere offerre scirem,
ille est in peregrinum versus,
ast est nondum retroversus.

Cum peregrinans discedebat,
oris rores abstergebat:

„Insere linum, tu mea grata,
et reminiscere sicut amata.

Post tres annos iam non flebis,
nam revertar, sed debebis
id, quod mando, mi complere.

Primo debes stamina nere,
dein perfundes linthea lympa,
pinges pallas sicut nympa
et cum pallas iam pernebis,
deinde corollas ipsa viebis.’

Iam-iam pallas consui,
dein in arca posui,
ruta floribus privatur,
adhuc ille mi palatur,
in remotiore mundo
sicut lapis in profundo.

Post tres annos non auditur,
utrum vivit, heus nescitur.

Mater, fer auxilium,
tu es mi subsidium,

carum mi reducas retro,
aliter non credam Petro,
oro te iam centies,
aut mi viam brevies.
Ille est meum gaudium,
cepi vitae taedium.
Tute, plena gratia,
aufer mi lugubria!“

Movit se pictura in muro,
virgo clamat in obscuro,
fusca lampas scintillavit,
sese tenebris velavit.
Forsan – venti tractio
aut significatio.

Quidam huc progreditur,
in fenestram tunditur.
Exauditur vox deformis:
„Adhuc vigilas aut dormis?
Audis virgo, tic, tic, tic,
mea virgo, sum iam hic.
Mea cara, quid fecisti?
Utrum adhuc me novisti,
aut fors alium cepisti?“

„Ah, mi care, credito,
de te quidem cogito,
de te semper cogitabam,

care, pro te nunc orabam.“

„Ho, ho, desine precari,
stude memet comitari,
luna vias illustrabit,
sponsus sum, qui tete amabit.“

„Ah, quid dicis, quidnam vero?
Quo vis ire – nunc tam sero?
Ventus saevit, nox est vasta,
i, manebo virgo casta.“

„Pro me nox fit par diei,
dius visus mi premuntur,
somno semper sopiuntur.
Nondum gallus excantabit,
cum te sponsus deportabit.
Hodie nubes, ne moreris,
citius me comiteris!“

Nigra nox, caligines
et tacentes oscines!
Luna desuper lucebat,
solum ventus saeviebat.

Properat – progreditur,
illa sponsum sequitur.
Canes vici ulularunt,
peregrinos vestigarunt.

Ululabant miram rem
prope esse lemurem!

„Clara nox cum stellis ustis,
surgunt mortui de bustis.
Antequam tu sciens eris,
adsunt, virgo, non vereris?“

„Curnam, Deus me custodit,
sponsus virginem non odit.
Vivunt tui genitores,
quales sunt eorum mores,
sponse, dic, ex corde fare,
si me possunt adamare?“

„Multum rogas, mea sponsa,
mox accipies responsa,
tempus, sci, non exspectabit,
iter diu perdurabit. –
Quidnam portas, scire mallet?“ – –

„Porto librum rituales.“

„Lingue has litanias,
lapides, lautumias!
Des, ut cito prodeas,
ne mi pone maneas!“

Libros cepit et reiecit

et sic longum saltum fecit.

Erat via per montana,
saxa silvarumque vana;
et salicta permeabant,
canes feminae latrabant;
clamat noctua rumores,
res adversas et maerores.

Properat, progreditur,
virgo sponsun sequitur.
Spinas, saxa non vitabant
et in silices calcabant.
Relinquebat vis fervoris
et vestigium cruoris.

„Vivos mortui sequuntur,
clara nocte colloquuntur.
Antequam tu sciens eris,
adsunt, virgo, non vereris?“

„Curnam, Summus me custodit,
sponsus virginem non odit.
Dic, est tua casa pura,
esse possum sine cura?
Hilaris et pura cella,
utrum est fors ad castella?“

„Multum rogas, mea sponsa,

mox accipies responsa.
Tempus currit catarracta,
nostra res est nondum facta.
Manet nos immensum pensum. –
Quid fers zonula suspensum?“

„Habeo rosarium.“

„Virus precatorium?
Sicut serpens te gyrabit,
pectus tibi coartabit.
Si vis bene respirare,
mitte, debes festinare!“

Et rosarium reiecit.
et sic longum saltum fecit.

Ibant per pratensia,
aquas et palustria;
per paludines vagantur
luces caerulae, iocantur:
novem sunt in agmine,
duplices sunt ordine;
axant ranulae rivales
cantilenas funerales.

Properat – progreditur,
passus sponsae labitur.
Pungunt sponsam carices,

pedes necnon podices.

Filix virens, ornans prata,

est cruore colorata.

„Nox est, tempus est venustum,

vivi properant ad bustum.

Antequam tu sciens eris,

adsunt, sponsa, non vereris?“

„Curnam, Numen me custodit,

sponsus virginem non odit!

Lingue cursum festinatum,

debeo iam respiratum.

Pedes mihi iam labuntur

et praecordia punguntur!“

„Solum curre, sponsa grata,

attingemus destinata.

Manet nos convivium,

tempus it ut iaculum. –

Cur possides vincula,

in cervice vincula?“

„Crux – dos a matercula.“

„Auri frustum consecratum

sicut spina mucronatum!

Pungit, mitte, sic et valles

permeabis sicut ales.“

Et revellit et reiecit
et sic longum saltum fecit.

Hic in regione plana
stat sublimis domus vana
et fenestrae sunt in muris,
supra cum campana turris.

„Virgo, sumus apud metam,
non te sentis prorsus laetam?“

„Quidnam! – hoc sacrarium?“

„Meum domicilium.“

„Crucum series et busta?“

„Nullae cruces, mea arbusta!
Habe cogitatum purum
et salito trans hunc murum!“

„Sine me iam, sic abire!
Tuae pupulae sunt dirae;
habes cor congelatum,
respiratum venenatum!“

„Nullum metum, sponsa grata,
eris prorsus satiata:

carnes – sine sanguine,
hodie cum discrimine! –
Quid est in fasciculo?“

„Pallae sutae, nebulo.“

„Duae sunt sufficientes,
nobis sunt convenientes.“

Fasciculum ridens cepit
et trans murum statim iecit.

„Sinas animum securum
et salito trans hunc murum!“

„Consequens vestigia
pervagabar invia;
destinabas semper cursum,
sali nunc et duc me rursus!“

Sponsus saliit trans murum,
sentiebat se securum;
saliit sublimis sursum,
virgo cito cepit cursum:
fulsit candor vestimenti,
non est opus molimenti,
in propinquo latebrae,
fugam suadent tenebrae.

Cella stat hic haud sincera:

porta humilis – et sera;
stridit porta post puellam,
quae se condidit in cellam.
Haec non habet fenestellas,
penetrat lux per tabellas
confirmatas vinculo;
intus est in angulo
mortuus in ferculo.

Foris crescit iam tumultus,
numerus cadavrum multus;
strident circa, conqueruntur
atque dentes colliduntur:

„Corpus pertinet ad bustum,
agrostemma, heus, est ustum.“

Foris sonat bum, bum, bus,
saevit sponsae socius:
„Mortue, consurge sursum,
resera mi, pulso rursum!“

Ecce mortuus versatur,
fricat oculos, levatur,
coepit caput sublevare,
studet iam circumspectare.

„Sancte Deus, auxiliare,
noli memet indignare,

mortue, tu iaceas,
divam pacem habeas!“

Mortuus se posuit,
oculos operuit.

Rursus insonat bum, bus,
portam pulsat socius:
„Mortus, consurge sursum,
resera, iam clamo rursus!“

Hoc tumultu provocatus
mortuus est elevatus,
tendit humeros torpentes
versus obices haerentes.

„Christe, tu, salvator vere,
precor, mei miserere!
Mortue, tu iaceas,
requiem iam habeas!“

Mortuus se posuit,
sicut pridem iacuit.

Rursus, foris: bum, bum, bus,
sponsam terret socius:
„Mortue, reclude cellam,
vivam porge mi puellam!“

Vae, ter vae nunc virgini,
surgit, paret numini,
tendit visum marcescentem.
ad puellam torpescentem.

„Maria, auxiliare,
Christum pro me deprecare!
Ah, indigne tete orabam,
ah, condona, quod peccabam!
Mater, plena gratia,
priva me fallacia!“

Nunc ex vico propiore
gallus cantat suo more,
post cum proprio consorte
cantant omnes in cohorte.

Mortuus se sublevavit,
deinde humi se prostravit,
foris omnes tacuere,
lemures evanuerunt.

Mane numinis cultores,
qui secundum vici mores
in castellum sunt vocati,
sistunt statim stupefacti;
bustum hians et in cella
moriturorum stat puella,
supra quodque bustum

pallae novae frustum.

Virgo, optime fecisti,
quod in Deum credidisti,
sponsum malum reiecisti!
Si fors aliter fecisses,
certe male periisses
et ut mortua prostrata
iacuisses lacerata!

RHOMBUS AUREUS

Ad silvam campus cernitur,
ex silva princeps vehitur
in acri nigro densae saetae
et strident unguiae perlaete,
est solus, solus vehitur.

Descendit equo prae casella
et dein pulsata fenestella
exelamat: „Portam reserate,
erravi venans, recreate
me, quaeso, fonte frigido!“

Puella prodit sicut flos,
quem velat matutinus ros;
et fert ex puteo liquorem,
asidit, percipit pudorem

nens fusi fila lintea.

Stat princeps stupens, nesciens,
quid vult, sitire desinens;
non potest visus demovere
a forma virginis procerae,
miratur aequa stamina.

„Si libera tibimet vita,
dein debes esse mi marita!“
puellam nectit lateri –
„Sum praesto matri veteri,
novercae dictis audiens.“

„Sed ubinam matercula?
nam eerno nil, puellula.“ –
„O princeps, ego sum privigna,
redibit cras cum nata digna
noverca, foras exiit.“

II

Ad silvam campus cernitur,
ex silva princeps vehitur,
in acri nigro densae saetae,
et strident ungulae perlaete,
directo versus casulam.

Descendit equo prae casella
et dein pulsata fenestella

exclamat: „Portam reserate,
ut cernam Visum meae gratae,
ut cernam meum gaudium!“

Et exit anus, cutis, os:

„An, quidnam hospes fert ad nos?“ –

„In domo volo res mutare,
cum tua nata me iugare,
privignam tuam diligo.“

„O princeps, quod miraculum,
quis duceret hunc calculum?
Salveto, hospes mirabunde,
sed nescio, quis es et unde
ad nos venisti, domine?“

„Sum terrae rex non eminus,
vocatus rite dominus;
tibimet dabo dotem dignam
et tu mi, quaeso, da privignam,
perpulchram nentem virginem.“

„Mi princeps, quod miraculum,
quis duceret hunc calculum?
O domine, non sumus dignae
tuaemet veniae benignae,
non sumus dignae gratia!

Mi da suadendi veniam,

tibimet dabo propriam;
privignae par est ut ocellus
sinister dextro, par est vellus
et eius filum sericum!“

„Quam perfidum consilium!
perficies imperium:
cum cras fragrabit lux benigna,
parebis tute cum privigna
in arce nostra regia!“

III

Privigna, surgas, exspectaris
a rege, cena singularis
te manet – regiam consortem, –
tibimet opto laetam sortem
in arce celsa regia.

„Vestire nunc, sororcula,
te manet magna crapula,
sublime, soror conspexisti,
demissam meme reliquisti,
sis felix atque valeas!“

„Exspectat, te regelis lex,
nunc i, ne sit iratus rex;
cum limitem transgredieris,
iam nostri non reminisceris,
nunc i, nunc vade citius!“

„Nos imus nunc ad epula,
cur cultrum fers, matercula?“ –
„Serpentem cum conveniemus,
ei cultro visus excidemus –
nunc i, nunc vade citius!“ –

„Nos imus nunc ac epula,
cur fers securim, carula?“ –
„Securis apta, sis segura,
nam bestiis secamus crura –
nunc, soror, vade citius?“

Venerunt dein in frutices:

„Heus, serpens, quaere vindices!“ –
Et montes, valles tunc gemebant
videntes id, quod faciebant
mulieres cum virgine!

„Nunc quis cum rege vivere,
reginae sortem fruire,
quis recens corpus complexari
et frontem regis oaculari,
tu pulchra, quae nes stamina!“ –

„O mater, quid nunc faciam?
Quo visus, ossa iaciam?“ –
„Ne linquas artus iuxta truncum,
ne quis adiungat quid per uncum –

est melius, cum rapias.“

Fuerunt iam post pineas:

„Ne prorsus, nata, timeas!

Privignae par es, ut ocellus
sinister dextro, par est vellus,
nil, mea nata, timeas!“

Fuerunt iuxta regiam,
rex ex fenestra spectat iam
et comitatu circumdatus
recepit ambas nihil ratus,
quod struitur perfidia.

Fuerunt – nefas – nuptiae
et sponsa magnae gratiae;
convivae laetabantur, venter
delectabatur continenter –
in septimum perpetuo.

Et octies flagravit lux,
affecit regem belli crux:
"Custodi, sponsa, dominatum
et vale, vado nunc pugnatum
cum crudis nostris hostibus.

Et sin ex pugna veniam,
nobismet renascetur iam
amoris flos, sed recordare

et rhombum nave fac rotare
nens domi semper strenue!“

IV

Et in profundo frutice
quid fuit regis paelice?
Sex magna vulnera patebant,
ex quis cruores ei fluebant
in mollem muscum viridem.

Ei risit nimis fausta sors
nunc imminet ei nigra mors:
ei iam cruores sunt sedati,
frigescit,- vae sit tempestati,
qua vidit ipse principem!

Ast senex canis crinibus
evadit nunc ex rupibus,
est barba cana decoratus,
suscepit corpus. Quo gravatus
intravit in spelunculam.

Puelle, surgas, currito,
auratum rhombum sumito:
reginae vendes hanc rem miram
et dic – nil aliud requiram
quam solum pedes geminos.

Puellus est in postibus

et rhombum tenet manibus.

Puellum conspicit regina:

„Ut sit mi rhombulus nens lina!“

Exclamat ex cubiculo:

„O mater, linque solium
et roga rhombi pretium!“ -

„Em, hera, minimi taxatur,
a patre mimet hoc mandatur:
stat solum binis pedibus.“

„Stat pedibus? haec – mira res!

Sed aurum – dignitatis praes:

i, mater, precor, in conclave,
sunt illic pedes Dorae gnavae,
quos trade sicut pretium!“

In silvam puer properat,
cum pedes sic recuperat.

„Fer, puer vividum liquorem,
qui reddet corpori vigorem,
ut rursus fiat integrum!“

Ad corpus pes apponitur

et ignis ei renascitur;

concrevit corpus nunc in totum
ut tamquam semper esset totum,
ut tamquam semper integrum.

„Puelle, vade, currito,
auratum fusum sumito:
reginae vendes hanc rem miram
et dic - nil aliud requiram
quam solum manus geminas.“

Puellus est in postibus
et fusum tenet manibus.
Puellum conspicit regina:
„Ut sit mi fusulus nens lina,
qui rhombulo conveniet!

O mater, linque solium
et roga fusi pretium!“ –
„Em, hera, minimi taxatur,
a patre mimet hoc mandatur,
stat solum binis manibus.“

Stat manibus? haec mira res!
sed aurum dignitatis praes:
i, mater, precor, in conclave,
sunt illic manus Dorae gnavae,
quos trade sicut pretium!

In silvam puer properat,
cum manus sic recuperat. –
„Fer, puer, vividum liquorem,
qui reddet corpori vigorem,
ut rursus fiat integrum!“

Ad corpus manus ponitur
et ignis ei renascitur;
concrevit corpus nunc in totum,
ut tamquam semper esset totum,
ut tamquam semper integrum.

„Puelle, vade, currito,
auratum colum sumito:
reginae vendes hanc rem miram
et dic - nil aliud requiram
quam solum binos oculos.“

Puellus est in postibus
et colum tenet manibus.
Puellum conspicit regina:

„Ut sit mi colulus nens lina,
qui fusulo conveniet!

O mater linque sollum
et roga coli pretium!“ –
„Stat oculis, sic aestimatur,
a patre mimet hoc mandatur,
stat solum binis oculis.“ –

„Stat oculis? Haec mira res!
Qua – pater?, mi responsum des!“ –
„De patre noli me rogare:
qui quaerit, non quit vestigare,

si vult, dein ultro veniat.“

„O mater, quidnam faciam,
Cum colum tantum sitiam?
I, mater, precor, in conclave,
sunt illic visus Dorae gnavae,
quos trade sicut pretium!“

In silvam puer properat,
cum visus sic recuperat.
„Fer, puer, vividum liquorem,
qui reddet corpori vigorem,
ut, rursus fiat integrum!“

In cava visus ponitur
et ignis ei renascitur,
et virgo circa se cernebat –
sed vero neminem videbat,
videbat vero solum se.

V

Et rex confecto proelio
revertit pleno gaudio!
„Quam vivis, uxor, mea grata!
es vero de me recordata,
servasti voces ultimas?“ –

„In corde voces conservavi,
res pretiosas comparavi:

coemi pulchrum rhombulum,
auratum fusum, colulum
et quidem solum propter te!“ –

„Nunc quis ad rhombum sidere
et pro me filum trahere.“ –
Ad rhombulum libenter sedit,
sed cum torquere rotam coepit,
impalluit, o qualis vox!

„Vrrr –
vis malum filum trahere,
venisti regem fallere:
sororem tuam necavisti,
puellam membris privavisti –
vrvr - nes mala stamina!“

„Quam rarus rhombus, centicum
est scillcet mirificum!
mi ludas, uxor cara, rursus,
non novi, verum vocum cursum:
ah uxor, neto stamina!“

„Vrrr –
vis malum filum trahere,
venisti regem fallere:
tu veram sponsam necavisti
et sponsam se simulavisti –
vrvr - nes mala stamina!“

„Tu ludis taetrius quam reris!
Tu non es talis, ut videris!
Tu debes ludere securam,
ut possim auscultare plura:
ah, uxor, neto stamina!”

„Vrrr –
vis malum filum trahere!
venisti regem fallere:
nam soror est in frutice,
privasti sponsam principe –
vrvr – nes mala stamina!”

Rudivit rex facinora,
profectus est ad nemora;
vocabat in silvarum vasta:
„Qua lates. Dora, sponsa casta?
qua lates, tu carissima?” –

VI

Ad silvam campus cernitur,
cum sponsa princeps vehitur
in acri nigro densae saetae
et strident unguae perlaete,
vehuntur nunc in regiam.

Fuerunt - rursus - nuptiae
et sponsa magnae gratiae;

convivae laetabantur, venter
delectabatur continenter –
ad septimanam tertiam.

Quid factum est cum novercula?
Quid factum est cum sororcula? –
Heu, lupi membra lacerabant,
in silva passim disportabant –
duorum muliebrium.

Sunt dempti visus vertice,
revulsa membra podice:
quod pridem virgini fecerunt,
id nunc in semet cognoverunt
in silva profundissima.

Qua rhombus nunc invenitur
it qua camena luditur?
Advenit solum ter cantare,
dein nemo quibat auscultare
auratum divum rhombulum.

Nuptum dare me volebat,
cura ducebatur,
inopinans dare dotem
natae cogebatur.

Nupsi, nupsi, verum prave ,
regi clarae lymphae
et conubi patres - cancri,
pisces paranympae.

Madet vir in siccis veste,
veste, quam totondit,
in olliculis sub aquis
animae abscondit.

Dormi, fili crine virens,
fili levitatis,
nubens non invenit mater
aedes pietatis.

Fraudibus decepta, dolo,
capta reti vili,
gaudium iam sentit nullum,
solum te, mi fili!“ –

„Quidnam sacri, uxor, cantas,
desine cantare,
meme ad iram carmen istud
coepit stimulare.

Nihil cantes, mea bilis
corpore commota est,
faciam te piscem, scito,
multa sic devota est." -

„Noli succensere, sponse,
tu, qui regis lympham,
ne moleste feras fractam
nec marcentem nympham!

Iuvenis virginitatis
stirpem perfregisti,
sed ex voto mihi nihil
adhuc perfecisti.

Supplex centies orabam:
sine, sine natam
ad brevissimum adire
matrem consternatam.

Supplex centies orabam
incohans plorare,
ut supremum meam matrem
possem salutare.

Supplex centies orabam,
genua flectebam,
sed nequiquam mitigare

durum cor volebam.

Noli succensere, princeps,
nam sum tibi praesto,
aut succense, si tu mavis,
et quod mandas, esto!

Atqui si vis, ut mutescam,
ut sim piscis mutus,
fac, ut fiam durus lapis
et sie fies tutus.

Lapis sine sensu, qui non
percipit maerorem,
ne suspirem semper solem,
neve lumen plorem." –

„Crederem, marita, verbis,
at quis dat promissum,
quis comprehendet rursus pisces
in profundum missum?

Paterer, ut convenires
matrem tam dilectam,
sed inanem mentem vito,
femineam sectam,

Ergo cedam, ut ex imis
eas, noli flere,
at debebis haec mandata
prorsus mi complere.

Ne des oscula parenti
aut amores terrae
cum fervere nostrae lymphae
collidentur vere.

Noli basiare nullum,
respice recursum,
ante sonos ire debes
et reverti rursus.

A sonando tibi tempus
ad sonandum cedo,
sed ut pignus prendo natum,
tibimet non credo."

IV

Qualis aestas sine sole,
qualis est congressio,
coetus filiae cum matre,

si non est complexio,
si post longum tempus nata
cernitur a matre grata,
a quo potest natae tali
obici transgressio?

Perque diem firmat mater
natam plenam quaestuum:
„Vale dico, mater, horrens
vesperum occiduum;” -
„Cur vereris percussorem,
perferemus hunc terrorem,
non, non cedam, non habebit
tete monstrum viduum.”

Vesper venit, viridis vir,
it ad valvas adeo,
domi mater est cum nata,
valvae clausae cuneo. -
„Cur vereris, nata cara,
illa species est gnara,
hic in siccis percussorem
non utique timeo.” -

Cum campana sonat, quidam
pulsat habitaculum:
„Vade domum, coniunx, vade,
para nobis epullum!” -
„Age desere iam limen,

tu, qui paras solum crimen,
epuleris id, quod ante,
abeas ad laculum!" -

Media iam nocte rursus
inferitur tectulum:
„Vade domum, coniunx, vade,
stratum vade lectulum!" -
„Age desere iam limen,
tu, qui paras solum crimen!
Qui sternebat lectos ante,
sternat rursus lectulum!" -

Tertius auditur pulsus,
sol fert lucem niveam:
„Vade domum, coniunx, mammam
puer vult, femineam!" -
„Non, non feram cruciatum,
crucior nunc propter natum,
minter mea, mater grata,
sine meme, ut abeam!"

„Ne discedas usquam, nata,
ille plenus crimine,
nato times, ego de te,
maneat in limine!"
„Abeas ad stagna grata,
male, nusquam vadet nata
atque puerum plorantem

linque sub hoc limine!" –

Et in lacu hiems saevit,
puer vocans ululat,
pungit pueri lamentum
et cum perit stimulat.

„Ille fletus memet tangit,
fletus mihi pectus frangit,
mater, ille vir me terret,
magno metu cumulat!"

Quiddam cecidit sub portam,
heu, cruoris species.
Anus patefecit, vidit,
coepit eam rabies.
Duo sunt hic in cruore,
captus animus terrore,
facies est sine trunco,
trunco deest facies.